

II h
837

DE
P A C E
DIVINIS QVONDAM HONORIBVS
CVLTA
SPECIMEN ANTIQVARIO-CRITICVM

QVO
AD AVDIENDAS
IN GYMNASIO OSNABRVGENSI
IV DE BELLICIS REBVS
ORATIONES
LITTERARVM IN HAC VRBE
PATRONOS FAVTORESQVE
OBSERVANTER ATQVE OFFICIOSE INVITAT
IO. DAVID HEILMAN
EIVS GYMNASII DIRECTOR.



OSNABRVGI LITTERIS KISLINGIANIS.

DE
P. A. C. E.
E. H. H. S. G. O. N. D. A. L. H. O. N. O. R. I. B. U. S.

AD V. S. S. S.
IN Q. U. A. M. I. N. T. E. R. V. I. S.
D. D. E. L. L. A. S. S. E. S.
O. R. A. T. I. O.
T. E. M. P. O. R. I. S.
M. D. C. C. C. L. X. V. I. I. I. I.
K. D. A. V. I. D. I. I. I. I. I. I. I. I. I. I.





Molesta fuerit interrogatio, et quae haud promptam haberet pariter ac iustam responſionem, quam iecit aliquando in insanam Romanorum πολυθεότης Arnobius, (1) ubi, interrogare vos libet, inquit, -- verumne existimetis pietatem, concordiam, salutem, honorem, felicitatem, ceteraque huiusmodi nomina, quibus aras videmus a vobis cum magnificis exaedificatas aelubris, vim habere diuinam, coelique in regionibus degere: an ita vt assolet, dici causa, ex eo quod optamus et volumus, bona ista nobis contingere, superiorum retuleritis in censum? et quae exagitandae vtrique quaestionis parti deinceps subiicit. Nam haud alia, arbitror, re foedior apparuit profanarum gentium superstitione et misere fluctuans in rebus diuinis animus, quam quod ne ab earum quidem rerum consecratione abstinuerint, quae, nisi mente atque cogitatione, intelligi nequeunt, per se autem consistere nulla ratione possunt. In quod ludibrium dubium est, poeta- rumne sublimi dicendi genere, atque in effingendis ex rebus personis audacia, decepti inciderint, an maturius quoddam interuenerit consilium et curiosa in aestimandis naturarum, quas putabant, diuinarum ordinibus potestatisque sedulitas. Quamquam fieri potuit, vt ex vtroque fonte promanaret illa creandorum numinum licentia, ac prolapsa semel ex humana libidine ditandi coelum cupiditas in poetarum figmentis, tanquam in parata materia, hoc intemperantius luxuriaret. Cicero tamen, credo quod causa videbatur honestior, hoc postremum solum tuitus: *Vides, inquit, Virtutis templum, vides Honoris. -- Quid Opus? quid Salutis? quid Concordiae, Libertatis, Victoriae? quarum omnium*

(1) *Disputat. adu. Gentes Libr. IV. inir. p. 159. Edit. Herald Pauli. 1605.*

omnium rerum quia vis erat tanta, ut sine deo regi non posset, ipsa res deorum nomen obtinuit (2). Et videtur sane, si caeteram gentium superstitionem spectemus, non iniusta suspicio. Nam quum essent in tam imensa deorum multitudine constituti, quorum esset cuique suum quoddam proprium munus, suique honores, tum vero alia apud alias gentes numina coli subinde acciperent, quorum nulla erant notitia imbuti, et quorum agnitam tamen ab ipsis diuinitatem fatis testatur cultus eorum publice saepe receptus: fieri sane non poterat, quin homines religiosi scilicet in magnum saepe metum inciderent, ne quis ab iis ex isto deorum exercitu praeteriretur omnino, aut ne suum cuique beneficium tribuerent. Quo saepe factum videmus, vt, liberaturi nimirum sese incerta atque anxia religione, omnibus, quidquid erat vbiq; deorum, honorem velut in commune simul effunderent. Qualis est, vt commemoratos *Pausaniae* πάντων θεῶν βασιλεὺς apud *Elienses* (*Ellac.* a. p. 162 ed. Wech.) praeteream, Inscriptio, quae excitatur ab *Hub. Goltzio* (3), in qua DII DEAEQUE OMNES appellantur; et huic similis alia *Syracusani* haut ita dudum reperta, in qua *Syracusani* DUS OMNIBUS honorem habent (4); et quam ill. *Gorius* (5) refert, praeter IOVEM O. M. DIIS ET DEABUS aram nuncupantem. Notius est ex hoc genere, quam vt commemorari necesse fit, *Pantheon Romae* non aliam ob causam excitatum, nisi vt ne quis Deorum religione careret; signa item et statuae Pantheae, quae variis complurium numinum

fym-

(2) De Nat. Deor. Lib. II, c. 23.

(3) in Thesauro Rei Antiquar. ex antiquis tam Numism. quam Mannor. Inscript. descripto. p. 6. Antw. 1618.

(4)

ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΤΕ (μονευστης)

ΙΕΡΩΝΟΣ ΙΕΡΟΚΛΕΟΥΣ

ΣΥΡΑΚΟΣΙΟΙ ΘΕΟΙΣ ΠΑΣΙ

Lettera del P. Giuseppe Rocco Volpi al P. D. Angelo Calogera, nella quale si espongono cento antiche Iscrizioni &c. apud CALOGERAM Raccolta d' Opuscoli scientifici e filologici Tom. XIX. p. 162.

(5) in Tom. V. Actorum Societ. Lat. Ienens. p. 50. n. III.

symbolis instructae mirabile ad cultum eorum compendium praestabant; nonnunquam etiam omnibus omnino Diis Deabusque consecratae videntur (6). Et quis est tam leuiter his rebus tinctus, vt ignotis passim numinibus, *Athenis* in primis, aras consecratas fuisse ignoret (7)?

Igitur cum tam sollicitè prouiderent, ne quod ab illis numen negligenter; cum praeterea intelligerent, bonorum omnium causam, quibus humana vita alitur, ad Deorum aliquem esse referendam, nec tamen, cui potissimum is honos haberetur, multis in rebus constitutere possent: satis, vt videtur, habebant, quamlibet appellare diuinam naturam, quae *καὶ θεῶν μαζοῖς* cuiusque causa extitisset, eamque, quod alio scilicet non poterant, hoc ipso beneficii nomine designasse. Hinc nota illa ex *Arnobio* (8) nomina *Vnxiæ, Cinxiæ, Victæ et Potuæ, Putæ, Nemestrini, Nodutis, Orbonæ, Secretiæ* et toti similibus numinum greges, ad varias naturae necessitates aut fortunæ commutationes effecti. Sed in his quidem rerum nomina personis aptabant; supererat vnus gradus, vt ipsis rerum nominibus idem designarent. Itaque non iam *Salutiam* quandam aut *Fidiam*, sed ipsam *Salutem, Fidemque* ipsam, vna cum reliquis id genus naturis diuinis, constituebant, id est, vt ego quidem interpreter, numina quaedam, quaecumque demum illa sint, aut quocumque proprio nomine censeantur, quibus haec beneficia maxime subiecta sint. Quod cum per ipsam rei naturam magnam habet veri speciem, tum ea re haud parum confirmatur, quod et solebant, *Arnobio* (9) teste, in fufis ad has naturas precibus oratione admodum dubia vti, vt ne sexum quidem numinis ponerent, *Sine tu deus es, aientes, siue tu dea*; et cum huiusmodi beneficio generale Deorum, vel Dei cuiusquam appellationem coniungere, nullo praefinito nomi-

A 2

ne.

- (6) Vid. Aufonii Epigramma: Myobarbum Liberi Patris &c. p. 17 ed. Ald. SPONII Recherch. d' Antiquit. Dissert. 7. Dissertaz. di Giambatt. *ROTA* sopra un antico Marino Bergamasco ap. *Calogeram* Raccolta Tom. XLIII. p. 463 &c.
- (7) *ACTOR*. XVI, 23. *PAVSAN.* in Atticis, p. 1 et *Eliæ*. p. 162 ed. *Wechel*. 1583.
- (8) *Arnob.* adu. Gentes Lib. III pag 145. 146. ed. Desid. *Heraldi* Paris 1605.
- (9) Lib. III. p. 131.

ne. Hinc illae apud *Goltzium* (10) memoratae inscriptiones: ΘΕΩ ΣΩΤΗΡΙ; DIIS CUSTODIBUS; Θεοῖς ἐπιχορηγοῖς etc. quae incertam illam religionem aperte loquuntur. Atque ita ab sapientioribus constituta fuerit huius rei ratio. (11) Accessit deinde aliorum intemperies, et, qui solet fere in tali re in praeceps ire, leuis popelli animus, qui tot noua numina conderet, quot illi Deorum munera et tanquam ansas, quibus se impertirent humano generi, demonstrassent. Hinc *Graecis* Ἐπιχόρηγοι et Σωτήρια, Ἐλεος, Αἰδώς, Φόβος, Οὐρανός, quarum aras et templa *Pausanias* (12) *Athenis* se vidisse testatus est; hinc *Romanis* Salus, Fides, Honor.

(10) *Theaur. Res antiquar.* p. 18. et 12.

(11) Operae pretium fuerit audire *Seruium*, qui, artem prope quamdam *ὀνομασθεσίας* huius obtinuisse inter *Romanos*, discrete prodidit. Ita autem is ad *Virgil.* *Georg.* I, v. 21.

Dique Deaeque omnes, studium quibus arua tueri,
 Quod dicte, inquit, *STVDIVM QVIBVS ARVA TVERI*, nomina haec numinum in *Indigentamentis* (indigentamentis malim legere, i. e. demonstrationibus Deorum indigentum) inueniuntur, id est, libris pontificalibus, qui et nomina deorum, et rationes ipsorum numinum (nominum legendum esse, quae statim sequuntur manifeste, ut opinor, suadent). Nam ut supra diximus, nomina numinibus ex officii constant imposta. Verbi causa, ut ab occatione *Deus Occator* dicatur, a sarritione *deus Sarritor* a stercoratione *Sterquilinus*, a satione *Sator* (pag. 44. 45. ed. Basil. 1551.) Ab stoicis autem quomodo haec deinde ad sanam mentem reuocata sint, ut vnum esse numen, vnamque potestatem, interpretarentur, quae pro ratione officiorum variis nominibus appelleretur, satis notum est. Quorum rationem esse, ad minuendum superstitionis popularis flagitium inuentam esse, minime negem: videntur tamen vetustissimam ipsorum Gentilium sententiam quodammodo retulisse, et maxime quidem *Romanorum*, quos sub initia *Reip* multum omnino abuisse ab *Graeculorum* in fingendis deorum historiis leuitate, honorifice testatur *Dionys.* *Halicarn.* Lib. I. *Antiquit. Rom.* c. 68. p. 30. ed. *Wechel.* Hi enim cum vegetam adhuc, ut videtur, et pluribus adeo negotiis parem crederent deorum suorum naturam, vnum eorum saepe multorum beneficiorum cognominibus cohonestabant. Ita *Romulus* et *Feretrium* agnoscebat *Iouem*, eundemque *Statorem*, et *Consuem* et *καταχθόνιον* et *Regalem*. Talia deinde temere discissa, quidni existimemus, vnam ex multis causam exituisse, cur in infinitum augerentur Deorum greges?

(12) In *Atticis.* p. 15.



Honor, Virtus, hinc Victoria, Pax, Æquitas, Mens, et plura id genus alia diuinis caerimoniis consecrata.

Igitur cum omnia prope beneficia, quorum vsus in hominum vita eminent, cum Deorum honore coniungerent: non est quod miremur, parem habitum fuisse PACI et concordiae honorem; quae cum dulcissimo humano genus vinculo continet, ita cara esse debet omnibus, vt illa subtracta perire simul omnem ex pulcerrimarum rerum possessione fructum, nec vitam esse vitalem, existimemus. Celebrata ea est passim magnificis oratorum poetarumque antiquorum encomiis, quae hic cumulare nihil attinet. Id autem, quo rectius aestimare rem totam liceat, obseruare non inutile erit, cum pacem veteres nominarent, non solum externum ab armis et bello otium, quamquam hoc quidem maxime; verum etiam liberam ab omnibus illis malis conditionem, quae hominis vitam infestam reddere, aut quolibet modo turbare, ac tranquillitatem animis adimere possunt, significasse. In quam rem satis fuerit, vnicum ex Luciano (13) locum, at perspicuum, adducere; qui *Micyllum* futorem, vitae, quam nuper apud inferos vivere coeperat, commoda ita depraedicantem producit:

μὴδ' ἀπαλείδωμι χρεῖα ἢ ἐφειλοντο ἐνταῦθα, μὴδ' φόβος ὑποτελεῖν. τὸ δὲ μέγιστον, μὴδ' ῥιζὴν τῆς χειμῶνος, μὴδ' νόσῶν, μὴδ' ἑπὶ τῶν ἀναλωτέρων βλαπτεῖσθαι, εἴρημν δὲ πᾶσα, quasi (14) tu dicas; *summa ab omnibus malis im-*

A 3

mun-

(13) in *Cataplo. Operum Tom I. p. 434. ed. Graev. Amst. 1687.*

(14) Vix a me impetro vt cum his conferam beatorum mentium corporibus solutarum statum, qualis *Apoc. VII. 16* describitur ἢ πενάσωσιν ἐστὶ, ἢ δὲ δι' ἄλυσιν ἐστὶ, ἢ δὲ μὴ πείνη ἐστὶ, αὐτὸς ὁ ἥλιος, ἢ δὲ πᾶν καύμα; etsi in verbis non multum interest. Admonere tamen nos potest *Luciani* in his rebus iungendis exemplum, vt hunc locum *Ioanneum* in commentarij vicem adhibeamus illis factorum librorum locis, vbi defunctorum epitaphiis formula: *DORMIT* vel *QUIESCIT IN PACE*, cuius sunt apud *Paul. Aringhianum* in *Roma subterranea* T. 1. lib. 3, et *Marc. Ant. Boldertum* in *Osservazioni sopra i Cimiteri de' Santi Martiri ed antichi Christiani di Roma Lib. II. c. 6*, infinita exempla, hinc aptissime explica-

munitas. Neque solum malorum absentiam, sed bonorum etiam ab benevolentia et propitia aliorum, in primis Deorum, voluntate profectorum fructum aliquando hac voce notarunt. Hinc illa frequens apud veteres, *Livium* maxime, formula, qua *Deum pacem* exposcere aut impetrare eos dicunt, qui bonos propitiosque eos sibi reddere student impetrantque. A quo neque usurpata in sacris litteris vocis huius vis abhorret, velut cum servator optimus *Pacis princeps* salutatur, propterea quod non solum triste ac calamitosum inter Deum hominesque dissidium fustulit, sed dirissimis etiam malis, quibus vexabatur deditum hostibus suis mortale genus, illud liberauit, ac caelestium bonorum tranquillam possessionem illi restituit; cum idem pacem suis, tanquam aliquod magnum bonum ac praestans, se tributurum pollicetur; cum Deus ipse *pacis deus* perhibetur, et sancti viri, cum ad suos scribunt, omnia prospera ac laeta, quae illis euenire a deo volunt, vno pacis nomine comprehendunt.

Sed vt ad propositum redeam; cultam esse diuinis honoribus PACEM et sub Deae nomine consecratam; non solum *Arnobii* (15) testimonio constat; qui, *Victoria*, inquit, PAX, *Aequitas* ----- *quam ratione, qua via intelligi possunt, Dii esse, atque ad superiorum concilium pertinere?* sed ab ipsis domesticis profanarum gentium scriptoribus ita proditum est, vt nullum dubium supersit. *Εἰρήνην καλοῦσιν θεοῦ* appellat *Euripides*; (16) eleganter, si poetam spectes, sine flagitio etiam, si concessam poetae licentiam; videturque adeo ab Hesiodo illud sum-

fisse,

si potest; vt nesciam quid *Boldettum* (p. 394.) mouerit, vt maluerit ad pacem ecclesiae eam referre, ac de his, qui in tuendo communionis Christianae officio diem obierant, usurpatum tanquam honoris titulum, contendere. Nam et ipsa verborum ratio pugnat; et cum hi, qui resecti a ciuitatis sacrae corpore moriebantur, ne rite quidem sepelirentur, nihil sane atinebat, caeteros addito in hanc rem elogio distinguere; ne dicam de septennibus adque adeo quadriennibus infantibus illud nonnunquam esse usurpatum, in quos ne tenuissima quidem rebellionis suspicio cadere poterat.

(15) *Disputat. adu. Gentes sub mit. lib. IV. p. 160.*

(16) *Bacchis v. 419. p. 802. ed. Francof.*

fisse, qui pariter (17) *ἑιρήνην κροτοφόρον* dicit, i. e. subolem argentem nu-
trientemque. Et in *Aristophanis Eιρήνη* praecipua totius fabulae materies
haec est, vt pacem, quam *σεμνοτάτην βασιλείαν θεῶν* vocat, alienatam a
Graecis, in patriam hi reducant, precibusque et hymnis et sacrificiis
placent. Sed plena sunt veterum poetarum scripta huiusmodi exem-
plis, quorum, si cui volupe est, farraginem videre licet apud *Stobaeum*
in *Eclogis*, Serm. LIII.

At ne genus et natales tanto digni nomine deessent, huic quoque
rei prospectum est. Etenim *Phurnuto* (18) referente, ipsum *Ionem* pa-
rentem habuit, qui tres ex *Themide* horas suscepit, quarum tertia *Ειρήνη*,
ἀπὸ τῆς δῆς λόγου, καὶ ἡ δὲ ὀπλων κρίνεσθαι ποιεῖν. Nempe hic sibi datum
credidit negotium, vt nugaces *Graecorum* de Diis fabulas ad philoso-
phicam rationem exigeret; id quod in hoc capite satis belle procedit.
Habuit enim sorores *Ευνομίαν* seu aequam et rectam omnium rerum dis-
pensationem, et *Δίκην*, siue iustitiae administrationem, cui *Themidis*
progeniei praeclare accedebat *Irene*: quod verbis, non armis, lites compo-
nere consuevit (19). Operae pretium est *Gnosticorum* hic parem argue-
re amentiam, quorum vt fuerunt omnino ad theogoniarum ineptias
excogitata somnia: ita hic vel in primis accessit ad *Graecorum* mentem
Basilides, qui in ista sua ogdoade, Deum et septem principes virtutes
ὑποστάτας comprehendente, caeterorumque spirituum omnium fonte,
Δικη-

(17) *Εργ. καὶ Ημέρ. Lib. l. v. 226.*

(18) *Lib. de natura Deorum c. 29. inter Opuscula mytholog. phys. et ethica a Th. Gale edita, Amst. 1688. p. 213.*

(19) Ita malim interpretari, quam, vt apud *Galeum* *Contr. Clauserus* fecit, *quasi ratione*
... lites consorziat. Illud satis confirmatur ex addita ratione *ἐκάλειν γὰρ τὴν λόγον*
ἑιρήνην. i. e. nam Sermonem etiam *ἑιρήνην* dicebant antiqui; ab *ἔργον* nimirum.
Eti hic quoque nugari pergit interiores, cum venit: *Nam reseres rationem pacem*
dixerunt; quod aegre probauerit. De loquendi significato, si modo tanti est,
Varinus Phavorinus in *Lexico*: *ἑιρήνη, ἢ ἀγάπη --- ἀπὸ τῆς τοῦ εἰρω, τὸ λέγω.*
ἢ ἀπὸ τῆς τοῦ ἔργον ἡμᾶς ἐπ' αὐτήν, ὃ εἶσι συμπλέκειν.

Δικαιοσύνην etiam et Ειρήνην tanquam Iustitiae filiam connumerat (20). Quod vel ideo hic commemorari debuit, vt ne prorsus incredibilis videatur illa Gentilium θεοποίησις, cum ipsimet adeo philosophi (est enim orientalium, quos dicunt, philosophorum *Acouum* hoc inuentum) *Substantiatas* suas *virtutes* vero vultu orbi prodiderint.

Iam ita constituto diuino fastigio, cultu quoque eandem religioso prosequi consentaneum erat; qui tribus potissimum rebus declarabatur, aris, templis, ac statuis. Quare haec iam singula perlustrabimus.

Arae Pacis vt sunt in numis frequentes, ita in scriptorum veterum monumentis trium in primis mentio facta est. Eiusque rei primum videtur esse inuentum *Athenis* tribuendum. Hic enim, *Cornelio Nepote* (21) teste, post partam a *Timotheo* ingentem de *Lacedaemoniis* victoriam, tum primum arae PACI publice sunt factae; eique deae puluinar institutum. Quamquam *Plutarchus* (22) longe vetustiore facit ibidem eum morem, cum, fufis a *Cimone* ad *Thermodontem Persis* insigni victoria, quae praeclaram *Graecis* pacem peperit, id est prope *L* ante *Timothei* victoriam annis, aram huic deae statutam esse referat. Sed hic quidem dubiam videtur fidem facere, cum, ΦΑΣΙ δὲ, inquit, καὶ βασιμὸν Ειρήνης δια ταῦτα τῆς Ἀθηναίης ἰδρύσασθαι (23). Erat autem ararum huius deae singularis religio, vt non mactaretur ad ipsas aras destinatum sacri-

(20) βασιλείδης δὲ ὑποστὰς Δικαιοσύνην τε καὶ τὴν θυγατέρα αὐτῆς τὴν Ειρήνην, ὑπολαμβάνει ἐν Οἰθωάδι μένειν ἐνδιατεταγμένας. *Clemens Alexandr.* Stromat. lib. 4. p. 231. ed. Commel. 1592.

(21) in *Timoth.* Cap. II.

(22) in *Cimone.* *Parallel.* Tom. II. p. 890. ed. Steph. 8.

(23) Nisi forte vtiusque fides ita defendi possit, vt *Nepotem* dicamus institutum ali- quod et caerimonias magis solennes et ad communem *Graeciae* laetitiam spectantes designare, pacatis nimirum ipsis inter se *Graecis*; cum illum de *Persis* victoriam sibi magis propriam esse et ad se in primis pertinere iudicaret *Athenienses*. Quae interpretandi ratio iuuatur altera lectione quae in compluribus editis *Nepotis* exemplis habetur, *Paci publicae*. Nempe vt est in numis *Romanis* *Securitatis*, *Felicitatis*, et ipsius adeo *PACIS PVBLICAE* (ap. *Car. Patinum* in *Impm. Rom. Numism.*

sacrificio pecus, sed carnes duntaxat exemptae atque exactae imponerentur, ne abhorrens scilicet ab sanguine dea inimico spectaculo pollueretur. Ita apud *Aristophanem Trygaeus*:

Ουχ' ἠδεται θήπουθεν Εἰρήνη σφαγῆς,
 Οὐδ' αἱματῶταί βαμρός. ἀλλ' ἔισα φέρων
 Θύσας, τὰ μῆε' ἐξελὼν θεῶν' ἔφερε

Apud *Romanos*, quod miretur aliquis, nullum videtur publicum huiusmodi monumentum *Pacis* ante Augusti tempora extitisse; seu quod rara illos pace uti contingeret, seu quod nobile satis existeret ipsius rei, alio licet nomine, monumentum, *Iani*, inquam, templum, in hoc potissimum ab *Numa* iam exstructum, ut pacis bellique populo index esset. *Augusti* autem non solum aevo, sed auctoritate etiam et numine, aram *PACI Romae* dedicatam esse, *Ovidii* testimonio (24) constat, qui et arae et feriarum pacalium ad xxx *Ianuarii* mensis terminat:

Ipsam nos carmen deducit PACIS ad aram.

Haec erit a mensis fine secunda dies.

Frondebis *Aethiacis* comtos redimita capillos

PAX ades; et toto mitis in orbe mane;

quibus haud obscure significat, in *Aethiacae* victoriae memoriam, neque forte ita multo post, eam consecratam fuisse, credo, quod popularius videbatur pacis quam victoriae, utpote de civibus, memoriam conservare. Nam quod politissimus *Fischerus* id ex fragmento vetusti Calendarii, a *MYRATORIO* in *Thesaurο Inscrptionum* servato (25), conuelleret

missin. p. 449. in numo *Helennae* frequens mentio; ita apud Graecos eadem fuerit *Εἰρήνη πάνδημος* aut *πανέλλην*, aut simili alio vocabulo notata.

(24) *OVID. Fastor. Lib. I. v. 709. etc.*

(25) Fragmentum istud ita habet:

F. K. IVL. N.

G. VI.

H. V.

A. IV.

N FER. EX. S. C. QVOD ARA

N PACIS. AVG. IN CAMP

NP MART. CONSTITV. FAX

SI (constituta est) NERONE, ET, VARO. COS

B

quod.

lere conatur, et ad annum demum V. C. 1000 rem omnem referre; non videtur animaduertisse, has in Calendario commemoratas ferias in a. d. VI. Non. Jul. incidere, atque adeo ab *Ovidianis* istis plane differre. Forte illa prior, *OVIDIO* memorata, ara ab ipso *Augusto*, vt diximus, ad ornandam *Aethiaca* victoriae memoriam consecrata fuerit, altera autem ex Senatus consulto, ad honorem habendum *Augusto* ob pacatas in Gallia et Hispania res illo anno, posita. Post *Augusti* tempora vulgata videntur huiusce religionis exempla, si modo expressae in numis *Tiberii*, *Neronis*, *Vespasiani*, aliorum, arae, dedicatarum ab his vera indicia sint; quod cur in dubium vocetur, nulla, vt opinor, ratio subest. Primam certe illam *Augusti* omnes duntaxat retulisse, vel illud infirmet, quod specie et figura plurimum variant.

De templis brevis disputatio est. Neque enim, praeter vnum illud a *Vespasiano* post compositas in *Iudaea* res magno apparatu excitatum, vllius praeterea huius deae aedis a veteribus mentio facta est. Nam quod *CLEMENS ALEXANDRINVS* (26) ab ipsius *Numae* temporibus et studio repetit eiusmodi templi fabricam, qui, vt ait *πρότερον ἀνθρώπων Πίστας καὶ Εὐχῆς ἐπὶν ἰδρῶσιν*, in eo ab caeteris omnibus relinquitur. Quamquam fieri potuit, vt in *Iani* templo, paci quodammodo sacro, aberraret. Hoc *Vespasianum* autem magnificentum prorsus extitit et sumtuosum, vt, si *FL. JOSEPHO* (27) fides et *HERODIANO* (28), praestantissima quaeque in hoc genere opera facile obscuraret; atque adeo habendi Deae honoris tarditatem magnitudine beneficii cumulate compensaret. Praecipuum autem decus videtur tam ab ingenti fabricae magnitudine, quam artificiosi operis, supellectilisque picturariae statuariaeque ambitioso apparatu vasorumque magnifici ope-

quorum consulatus incidit nempe in eum, quem diximus, annum. Sed Vid, de omni re late disputantem *Cl. FISCHERVM* in *Commentar. de Ara Pacis*, *Lips.* 1748.

(26) *Synonot.* Lib. V. p. 234.

(27) *de Bello Iud.* Lib. VII, c. 17.

(28) *Histor.* Lib. I. p. 22. edit. *Steph.* 1581.

operis instrumento, vndique terrarum in illud congesto traxisse; quod effecit, vt non solum opulentiae, verum etiam ingeniorum omnis aevi omniumque gentium illustre monumentum haberetur; peregrinantiumque studia, regionis ad instar, vna expleret (29). Idem, quod erat summa ope munitum, arcis loco habebatur, in quod suas opes priuati reponebant, ibi tutissime asseruari ratū. Quo grauior erat iactura, quam et publice ciuitas et pro se quisque faciebat, quum imperante *Commodo* cxvi anno post, quam dedicatum erat, fatali incendio conflagraret (30). Neque vero ex his cineribus vnquam postea reuixit;

(29) πάντα, inquit *Iosephus* l. c. εἰς ἐκεῖνον τὸν νεὸν συνήχθη καὶ κατετέθη, δι' ὧν τὴν θέαν ἀνθρώποις πρότερον περὶ πᾶσαν ἐπλανῶντο τὴν ἐικυμένην, ὡς ἄλλο παρ' ἄλλοις ἦν κείμενον, ἰδεῖν ποθῶντες, quae postrema verba inepte ab interprete reddita sunt; quomodo aliud apud alia esset positum, videre cupientes; pro quo debuisset: vt alia alibi seruabantur, vbiq̄e iustrantes. Ex Iudaea et templo in primis *Hierosolymitano* omnia huc ornamenta congesta esse, *Iosephus* ibidem testatur; ex Graecia pariter illa conuecta, ex *Pausania* iudicare licet. Is certe (*Eliac*, 2. p. 186.) *Chimonis* cuiusdam statuam, *Naucydis* statuarii celeberrimum opus, *Argis Roman* in hoc templum delatam esse refert.

(30) Occasionem dedit subitus iste casus Cl. *A SEELEN* in *Ecloga archaeol. de Dea Pace*, inserta literatissimi viri *Misese/laneis*, p. 311, vanitatem augurii de aeternitate nobilissimi aedificii exagitandi; quod patet, inquit, ex Inscriptione quam affert *Aldus*:

PACI
AETERNAE. DOMVS.
IMP. VESPASIANI,
CAESARIS. AVG.
LIBERORVMQ. EIVS.
SACRVM.
TRIB. SVC. IVNIOR.
DEDIC. XV. K. DEC.

Verum satis, opinor, patet, non templum, sed pacem ipsam aeternam vocari, vulgato in numis nomine, in quibus et aeterna et perpetua nuncupatur. Si quid est in eo titulo quod factum sapere et elatos animos videatur, cui tamen virio ita obnoxium fuisse *Vespasianum* accepimus, vt nulli minus; hoc fuerit, quod cum domum suam appellat, quod nescio an alias in simili re factum, suam fortunam

uixit; quamuis non poenitenda pristini splendoris vestigia diu super-
fuerint, quae, *Serlii* designata manu, a *Montfauconio* (31) in Antiqui-
tatum opere seruata et descripta sunt. Pertinuit forte ad hanc aedem
Pacis illa bibliotheca, cuius *A. Gellius* (32) meminit, societate sane
non inepta, vt praeclarissima atque honestissima pacis ornamenta ad
augendam templi huius deae magnificentiam adhiberentur. Littera-
torum praeterea frequentes ibi conuentus celebrari solitos, refert ex
Galenio HERM. CONRINGIUS in Epist. ad L. B. a *Boineburg* (33) de *Bib-*
liotheca

cum deorum immortalium honore communicare videtur. *Tribus Sucusaria iunio-*
rum praerogatiua isto tempore fuerit, quum populus de dedicando templo roga-
retur, quam antiqui moris umbram seruata esse a nonnullis Imperatoribus, vbi
commodum scilicet videretur, satis constat. Quod idem V. C. templum hoc iam
a *Claudio* inchoatum, ex *Dione* et *Suetonio* confirmat, veretur ne id quoque
festinantis scriptum sit. Apud *Suetonium* certe, (nam *Dio* ad manus non est)
nihil, quod ad hanc rem pertineat, inuenio, nisi quum is in *Vespasiano*, p. 174. (ed.
Genev. 1605.) scribit: „Fecit et noua opera, templum Pacis foro proximum, *Di-*
„uigue *Claudii* in Coelio monte coeprum quidem ab *Agrippina*, sed a *Nerone* pro-
„pe funditus destructum. In quibus ea verba, quae singulari scriptura expressi-
mus, error locum dederunt; etsi satis, vt opinor expresse *NOVIS* operibus tem-
plum illud annumerat *Suetonius*; *Claudii* autem templum, non huius opus, sed
dedicatum ipsius nomini dicit. Maior parui poterat isti sententiae species ex *Sexto*,
Aurel Victoris (siquidem is auctor libri est) *Historiae Augustae* Epitome, qui C.
IX. de *Vespasiano*: *Capitolium*, inquit, *aedem Pacis*, *Claudii monumenta*, *repa-*
rauit. Verum ne hic quidem *Capitolium* ac *Pacis* aedem monumenta *Claudii* di-
ci, sed haec illis tertio loco addi, inde satis apparet, quod *Capitolium* diu post
Claudium sub *Vitellio* demum arsit, vt ipse *Victor*, siue alius sit, in *Lib. de Cae-*
saribus C. VII. prodidit; quanquam hoc quidem vitiose, quod *reparandi* voca-
bulum, quod ad *Capitolium* tantum pertinebat, communiter vsurpari. Rectius
igitur ipse (de *Caesarib.* C. IX.) -- *aedes PACIS*, *Claudii monumenta*, *Amphi-*
theatri tanta vis, *multaque aliae* (multaque alia) *ac forum coepra ac patrata*.

(31) *Antiquitat.* Lib. II. C. V. *Schatzianae Epitomes* p. 115. et *Tab. XLV II. et XLV III*
conf. ALEX. DONATI *Roma* *Vetus* ac recens *Lib. III. c. IV. p. 202. et P.*
LIPSIVS de *Magnitudine Romana* *Lib. III. c. VI. Operum edit. Vesal.* *Tom. III.*
p. 779.

(32) *Noct. Atticar.* *Lib. XVI. c. VIII.*

(33) in *Schmidiana* *Scriptorum* de *Bibliothecis* *collectione* *Part. I. p. 195.*

Liorbeca Augusta. Quod si hoc cum vastissima totius aedificii magnitudine, cuius longitudo ccl., latitudo autem ccl. pedes aequabat, cum fenestrarum item fabrica in superantibus huius templi ruinis comprehensa, in aliis templis non item, comparo: facile moueor vt credam, et ipsum templum et bibliothecam, et *Vespasiani* domum continuatum vno opere aedificium continuuisse; quale est nostra fere aetate celeberrimum illud in Castilia *Escuriale.* Quanquam iam *Augusti* simile prope factum extitit; qui, vt *Suetonius* (34) refert, templum *Apollinis* in ea parte *Palatinae* domus (quam nimirum habitabat ipse) excitauit, quam fulmine iectam desiderari a deo haruspices pronuntiarant, addiditque porticum cum bibliotheca *latina graecaque.* Quae si probentur, quod quo minus fiat, nihil video ob stare; hoc facilius erit inscriptionis supra allatae interpretatio.

De signis imaginibusque deae superest locus, hoc iucundius caeteris, modo superstitione abesset, argumentum, quo magis in his se explicuit ingenii quaedam elegantia et artificium argutum. Quare non verebor, his, etsi minus recondita sint aut ignota, aliquantum indulgere, et, quod solent fere harum rerum scriptores immensae lectionis apparatu officium explere, id iustis coniecturis assequi conabor. Igitur primum illae, quas numi praeferre solent, imagines stolatam vt plurimum deam, reuincta circa caput coma, vultu aperto et hilari, vt illud: *εἰρήνη γλυκὺν μυστῆρα* exprimere videatur; et vel assidentem, vel in gradu consistentem, aut leniter duntaxat, vt decus, opinor, et spiritum adderent formae artifices, pedes molientem referunt. Atque ita decuit nimirum placidam deam et compositam. In vno *Carini* numo (ap. IAC. DE BIE. *Numism. aur. Aeschot.* Tab. XLIX.) citato gradu et fluctuante in auras stolae sinu aut fascia, qualis *Diana* fingi solet, apparet, credo, vt exoptata et desideratissima videretur. Quod in nonnullis alae humeri adduntur, remissae negligenter et pendentes a postica parte, vt apud eundem *Biacum* in numis *Claudii* et *Vespasiani* Tab. vi. vii. xi; id, puto, a *Victoria* sumtum est, vt Pacem insigni

(34) in *Augusto* p. 37. ed. cit.

victoria partam demonstrarent. Praeter hastam, quam dicunt, puram, in fidem numinis additam plerumque, vulgatissimum *Pacis* infigne est *oleae ramus* manu praelatus; quam proin *paciferam* vocat Virgilius Aeneid. viii,

Paciferaeque manu ramum praetendit oliuae. (35)

Infinitum esset omnes percensere nugas, quibus indulserunt hi, qui in moris huius originem et causas inquisiuerunt. Quas qui ex fabula de contententibus inter se *Neptuno* atque *Minerua* deriuant, non cogitant, eandem haud dubie causam extitisse fabularum conditoribus in vtroque argumento, cur oleam in scenam produxerint, atque adeo id ipsum superesse quaerendum, quid eos et hic mouerit, vt tribuerent istam arborem *Mineruae* (36). Qui autem rem ab diluuiio repetunt, et folium oliuae a columba ad *Noam* relatum pacis primum indicium et sedatae irae diuinae faciunt, et furta gentilium ex sacro codice arguunt (37), quod *Cl. a Seelen* placuit; pie quidem illi, vt plurimis videtur, faciunt, et ex dignitate, vt opinantur, sacrarum litterarum. Veruntamen primum non video, quid sit, quod pacis potius, ad cuius cogitationem non nisi meditando longius, vt videtur, ab istoc fa-

Et

(35) Conf. Alex. ab Alexandro dies genial. Lib. II, p. 426. et quae ibi adnotauit *Triaquellus*.

(36) Fabulam narrat *Hyginus fabul. CLXIV* Collectionis *Mythographicae Herwigianae* p. 36. Expositoribus his quos dixi, praeciuit *Seruius* ad Virgil. Aen. VIII. v. 119.

(37) Diligenter in primis hanc partem ornauit *OCTAV. FALCONERIUS*, in Dissertat. de numo *Apamensi Deucalionei diluuii* typum exhibente, *Romae 1668*. Qui cum in celebri illa *Philippi* Imp. numo arcam cum duobus inclusis hominibus aquae innatantem, volantesque desuper columbas, quarum altera oleae frondem ore geitis deprehenderet; tum vero postremas vocis *Αλεξανδρειων* litteras, inuerso ordine (*NQE*) arcae inscriptas cerneret; sine haesitatione omnem Noachi historiam hic inuenire sibi visus est. Sed hic quidem ab *STEPH. LE MOYNE* in Proleg ad *Varia sacra*, aliisque, quorum censum agit *PET. ZORNIVS* in *Biblioth. Antiquar. et exegetic.* p. 7. accurate resuratus est. Poterunt tamen et ibi recte pro pacis et concordiae signis haberi tam columbarum par, placidum in primis animal et sociabile, quam oleae ramus; communioni nempe sacrorum inter *Apamenses Alexandrinosque* designandae adhibita.

Eo perueniri poterat, quam salutis aut fertilitatis, aut vindiciarum
 in libertatem, aut cuiusuis denique rei, quae propiori cum illo Noae
 fato cognatione coniuncta erat, indicium habita sit. Deinde nimis,
 opinor, argutos et perspicaces hi sibi fingunt profanas gentes, qui id in
 hoc *Noae* fortuna viderint et meminerint, et conseruauerint adeo di-
 ligenter, quod ex *Hebraeorum* gente et scriptoribus ipsis sacris nemo
 odoratus sit. Nusquam enim, quantum memini, ista pacis imago in
 sacris libris adhibita est. Itaque vereor, ne quod de furto nimis accu-
 satorie dicitur, in nostras ab reis resiliat, et quae multi, inde a pa-
 tribus vsque in hunc diem, tam ingeniose de olea commentati sunt,
 ex gentium more deriuata potius inueniantur, quam ad has a *Iudaeis*
 profecta. Vt igitur breuiter, quid sentiam, dicam, ita res, opinor,
 gesta est. *Athenae*, vt erat ex antiquissimis *Graeciae* vrbibus, et prae-
 cipuae iam inde a vetustis temporibus apud caeteras auctoritatis, ita
 illam veluti sedem quandam religionis aut, si placet, superstitionis, vn-
 de in reliquam *Graeciam*, regionesque conterminas disseminaretur, ha-
 bitam esse, consentaneum est. Igitur et hunc morem *Athenis* natum
 primum esse, vero admodum simile est. Erat autem *Attica* olearum
 in primis ferax, ita vt ex horum prouentu annorum potissimum ferti-
 litas et collecti penus vbertas censeretur; quamobrem, vt ex pluribus
Aristophanis eiusque interpretis vetusti locis patet, et tum tenues ho-
 mines his maxime victitabant, et antiquissimis temporibus vniuersi
 illis pro frugibus etiam vsi videntur; quod frugum arandarum peri-
 tiam ad *Triptoleum* demum referebant. Igitur vt agrorum vastatio
 praecipuum belli malum semper habitum est, eorumque cum vbertate
 cultura summum pacis beneficium; ita nihil, vt videtur, aptius ad
 declaranda *Pacis* munera huic populo occurrere poterat, quam ista
 oleae signa.

Haec opinio vt per se, nisi fallor, admodum probabilis est; ita
 eo haud parum comprobatur, quod in aliquibus numis aristis etiam
 ornata PAX conspicitur. Cuiusmodi duos exhibet EZ. SPANHEMVS
 (38);

(38); *Agrippinae* alterum, in quo caput mulieris redimitum spicis cernitur, alterum *Titi*, in quo eadem manu praefert dea. Quare et passim *Cereri* iungitur, tanquam amicum huic in primis numen, ut in illo OVIDII (39).

PACE CERES laeta est; ac vos optate, coloni

Perpetuam pacem.

Minervae autem ob id ipsum, puto, tributa est olea arbor ab *Atheniensibus*, quod praecipuo urbis numini, et tutelari, praecipuum regionis beneficium repetere aequum videbatur. Quanquam et ipsa pro pacis adiutrice aliquando a veteribus celebrata est. Quo pertinet ista apud *Reinesium* (40) inscriptio *Romae* reperta

MINERVAE PACIFERAE

L. TITINIVS L. L. AMAZON

GRAMMATICVS V. S. L. M.

quemadmodum MINERVAM PACIFICAM excitat ex numo *Albini HVB. GOLTZIUS* (41). Retulerit forte hunc honoris titulum, omis- sum in magna aliorum segete a *GYRALDO*, inde, quod, ut ait *PHVRNVTVS* (42), feros homines et in se mutuis caedibus saeuientes ad vitae societatem et mansuetiores mores ipsa potissimum traduxit.

*Laurus*ne etiam aliquando inter insignia PACIS pro olea usurpata fit, ex numis propter arbuti similitudinem non facile dixerit quisquam. Id certum, etsi non adeo tritum est, laurum pacis quoque nuntium et indicem habitum a veteribus. *PLINIUS* (43) ipsa, inquit, (*laurus*) *pacifera*, ut quam praetendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium et pacalem vocat *Ovidius* (44), de *Cipo*:

----- pacali cornua lauro

Velat

Vicif-

(38) *Observatt. in Callimachi Hymnos pag. 748. conf. PATIN. Numism. Imp. p. 151.*

(39) *Fastor. lib. IV. v. 407.*

(40) *Syntagm. Inscriptionum antiq. pag. 215.*

(41) in *Theaur. rei antiquar. p. 11.*

(42) *de Natura Deor. inter GALEI script. Mythogr. p. 199.*

(43) *Hist. nat. Lib. XV. c. 30.*

(44) *Metamorphos. L. XV. v. 591.*

Vicissimque olea victoribus aliquando orrandis inferuit; quod de Atheniensibus tradit idem Plinius (45); et de Olympionicis vulgo notum est.

Alterum PACIS insigne, quod plerumque oleae iungitur in numis, Caduceus est, *Κηρύκειον Graecis*; quod *κήρυκες* seu oratores, de pace aut induciis transigendis a belligerantibus populis vltro citroque dimissi, eo vterentur insigni, quod sacros ipsos praestabat et inuiolatos. Et si haec satis obuia sint in signis antiquis: adscribam tamen vel meorum causa dilucidum Interpretis *graeci Thucydidei* locum, qui et accurate eum designat, et commodam interpretationem adiungit. *Κηρύκειον*, inquit, ἔστι ξύλον ὄρθρον, ἔχον ἐκτέρωθεν δύο ὄφεις περιεπλεγμένους, καὶ ἀντιπροσώπως ἀλλήλοις κειμένους, ὅπερ εἰώθασιν φέρειν οἱ κήρυκες μετ' αὐτῶν, καὶ ἐκ ἐξῆν ἀλλήλους ἀδικεῖν, παρ' ἑς ἀπέρχουσαι. Σύμβολον δὲ ἦν τὸ μὲν ὄρθρον ξύλον τῶ ὄρθρῳ λόγῳ, τὸ δὲ παρ' ἐκτέρωθεν εἶδος τῶν ὄφειων τὰ ἀντιζωόμενα στρατόπεδα. ὁ γὰρ ὄρθρος λόγος δὲ ἀμφοτέρων χωρεῖ: i. e. *Caduceus rectam ferulam refert, duos utrinque obuersis inuicem frontibus angues amplexos habentem - - - Et lignum quidem illud rectum orationem rectam (vel rationem iustam et aequam), serpentum autem utrinque aptae imagines sedentes aduersis animis exercitus adumbrant. Inter utrumque enim recta ratio versatur.* (46) Igitur hoc quidem satis per se aptum PACIS deae symbolum; atque hac, qua diximus forma saepe etiam illud gestans conspicitur. Veruntamen vt augustius, credo, hoc ipsum facerent, et a mortalium vsu deae ornamenta seiungerent; alas plerumque binas infra serpentum iuncturam addiderunt, vt iam a Mercurio potius, quem, velut *διάνθρωπον* inter Deos hominesque, alis coelum secantem fingeant, quam ab hominum consuetudine sumtum videretur. Nam et hic, seu quod deorum pacem mortalibus conciliaret, seu, quod homines ipsos inter se ad placidam vitae confociationem, orationis delinimento, flexisse crederetur (47), PACIFER passim a veteri-

(45) ib. Lib. XV. c. 4.

(46) ad Thucyd. Lib. I. p. 36. edit. Stephan. 1588.

(47) Quam caducei *Mercurialis* explicationem affert *Phurnut.* l. c. p. 166. qui etiam *Lysae* inuentum ipsi ob id tribui putat (p. 169) quod sit *ἀρμονίας καὶ ὁμονίας* inter homines conciliator.

teribus dictus est. Cuiusmodi et numi citantur ab EZ. SPANHEMIO (48) et IOACH. MEIERO (49), et inscriptio affertur a VOLPIPIO (50), et testimonia veterum auctorum passim occurrunt. Qualis est illa Ouidii (51) προσφώνσις:

PACIS et armorum *superis* imique deorum

ARBITER; alato qui pede carpi iter;

et quod SERVIVS ad *Virgil. Aen. V*, v. 606 commentatur *Ex magna parte servatur, ut Mercurius ad concordiam, Iru ad discordiam mittatur. Pariter EVSTATHIVS (52): Εἰρημὸς, αἰτ, ὁ Ερμῆς, ὅθεν καὶ ἀνείται, καὶ μίξαις φιλίαι: pace gaudet Mercurius, unde et suaves ludos et laetos conuentus amat. Denique, oratores legatosque paci conciliandae adhibitos hunc potissimum praesidem habuisse deum ac tutelarem, satis constat.*

De *Copiae cornu*, quo itidem complures numi deae finistram fere armant, non opus est multa dicere. Est enim hoc vbertatis et opulentiae signum satis peruulgatum; abundantiamque rerum omnium certissimum

numm

(48) tam in Obseruat. in *Callimachi Hymn. in Dian.* p. 233. quam in *Animaduersionibus* ad *Ed. Herber de Cherbury Librum de Religione gentilium*, insertis IV Volumini *Miscellan. Lips. nou.* p. 177.

(49) in *Comment. de numo quodam aureo Postumi*, collectionis *Woltereckianae (Electa Rei numariae)* p. 214; editionis autem separatae auctoris (*Goslar. 1713.*) p. 25. 26.

(50) in eius Epistola supra (not. 12) laudata Collectionis *Calogeranae* Tom. XIX. p. 128. Eam, quod minime vulgata est, et apprime hoc, quod agimus, illustrat, hic maiorem partem exhibebam:

M. Aurelius M. Fil
Silvianus
Trib. Milit. Aidil
Q. Praef. Vigilum
In Maced. prof
Mercurio pacif
Pericul. Superstes
Vor. Sol. cet.

Videtur hic illud potissimum Mercurii munus respici, quo πομπάιος celebrabatur, i. e. qui saluos et cum bona pace manes praecipue defunctorum, tum vero et peregrinantes quoslibet, deduceret.

(51) *Falst. Lib. V*, v. 665.

(52) ad *Iliad. φ. v. 500.* in *Hadr. Iuni Cornu Copiae siue Oceano Enarrationum Homericae* ex *Eustathii Commemariis concinnatarum* p. 494.

num pacis et honesti otii fructum, apte declarat. Quare et caeteris idem numinibus addi solet, quorum beneficio vel parari istam beatam copiam, vel tuto et laute eadem frui licere gentiles crediderunt. *Cereris* (53), inquam, *Baccho* (54), *Fortunae*, *Abundantiae* (55), *Fecunditati*, *Felicitati* (56) *Hilaritati*, *Securitati* ac *Liberalitati* (57); ipsique adeo *Herculi* (58), quod is nimirum, sublatis e medio facinorosis hominibus et violentis, caeteris pacem et tranquillum bonorum fructum praestaret. Quare et huic inter pacifera numina et placida locus datus est. Cuiusmodi numum *Aemiliani*. HERCVLI PACIFERO, altera manu clauam, oleam altera gestante, inscriptum affert CHR. FRID. RVHE (59); similemque ab HERBERTO de CHERBVRY appellatum refert EZECH. SPANHEMIVS (60), etsi sibi cognitum negat. Alium *Poesti* excitat GOLTZIUS eodem nomine inscriptum. Quos plane explicant illa SENECAE ex *Hercule Octaao* (61), ubi post sublatum a terris *Herculem* ita conqueritur chorus:

*Quis dabit pacem populo timenti,
Si quid irati superi per vrbes
Iusserint nasci?*

Vnus et alter numus superest, in quibus face armata dextera deae apparet, qua iacentem ante pedes armorum struem incendit; argumenti vt perspicui et facilis ad interpretandum, ita ob id ipsum elegantis, loquentisque picturae. Concrematis enim armis omne belli non solum instrumentum, sed et ipsam memoriam abolere velle videtur. Vnus huiusmodi affertur in *Montfauconiana* Epitome (62), in quo exstat praeterea pone deam columna, ad quam scutum reclinatur, et ante eam, prope conflagrantia illa arma, ara, non magni fastigii. Quod equidem, nisi, ob imagunculam columnae impositam, sed nul-

C 2

10

(53) *Epitom. Montfaucon. Tab. IX, n. 8, et Tab. X, n. 6.*

(54) *ibid. Tab. XXVIII.*

(55) *ib. Tab. XXXVII.*

(56) *ib. Tab. XXXVIII.*

(57) *ib. Tab. XL et XLI.*

(58) *ib. Tab. XXVI, fig. 7.*

(59) in *Specim. Philologiae Numismatico-Latinae. Tab. II, fig. 6.*

(60) *Vbi supra in Miscell. Lips. nou. Tom. IV, p. 143.*

(61) *v. 1541. cct.*

(62) *Tab. XXXIX, fig. 6.*

lo nisi hastae discrimine insignitam, aliud videtur, ita interpretarer, vt et rite confecta constitutaque penitus pax, ob aram et arma incensa, et firma fundataque, qualis dicitur in *Philippi* numo ab SPANHEMIO (63) appellato PAX FVNDATA CVM PERSIS, testante id columna, et tuta denique, scuto indice, demonstraretur.

Vltimum restat eorum, quae mihi quidem occurrerunt, deae symbolum, serpentem dico vel ante pedes eius spiris se contorquentem, vt est in numis *Claudii* (64), *Vespasiani* (65) et *Traiani* (66), vel in ara apposita recubantem, vt est in *Augusti* quodam numo (67). Non est valde dubium quid ea re faciamus, cum satis constet serpentibus laetum vetustas gentes prope omnes augurium tribuisse, salutisque ac prosperi euentus habuisse indices; vt et *Alexander*, cum incertus viae in arenosis Libyae desertis cum exercitu confisteret, inspectos repente duos angues pro certis ducibus sequeretur (68); et *Sylla* elapsum inter sacrificandum ab arae crepidine anguem tanquam certum victoriae omen acciperet (69). De *Aegyptiis* autem et *Phoenicibus*, serpentibus numen inesse ratis, peruulgata res est. Et apud *Graecos Romanosque* omnibus fere numinibus, quae prae reliquis habebantur salutifera, comites addi solent serpentes. Ipsa *Salus* dea perpetuo fere aut hoc comitatu incedit, aut ipsa etiam absens per hoc symbolum repraesentatur; de quo, exstat elegans GROSEI DE BOSE *de Cultu, quo Salutem deam profecuti sunt veteres*, dissertatio (70). *Aesculapius* non solum vel serpentem nudum manibus gestans, vel stipiti circumuolutum, fingitur, sed ipse saepe huius ammantis specie apparuisse creditus est, praesertim apud *Pergamemos*, de quo memini exstare Iaculentam THEOD. HASAEI Dissertationem in Bibliotheca Bremensi. Et cui celebris illa fer-

(63) Dissertat. IX. de Praestantia et usu numism. Tom. II. p. 850.

(64) inter LAC. DE BIE numismata *Archaeol.* Tab. VI. VII.

(65) *ibid.* Tab. XI.

(66) *FVLV. VRSINI* Familiae Rom. in antiquis Numism. a *Car. Patino* auct. p. 317.

(67) cuius auertam partem exhibet *CHR. WOLTERECK* in *Electis Rei numar.* Tab. II, n. 8.

(68) *ARRIANVS* de Expedit. Alexandri Lib. III ab init. p. 160. edit. *Blancardi* Amst. 1668

(69) *CIC. de Divinat.* l. I, c. 34.

(70) in *WOLTERECKII Electis Rei numariae* pag. 27 &c. add. *ibid.* Tab. II.

serpentis pro *Aesculapio* Romam inde ex *Epidauro* deductio ignota est? (71) *Sospitae* Deae praesto iidem sunt inter alia in duobus *Proculiae* gentis numis ab PATINO (72) exhibitis. Plura huiusmodi exhibet PET. ZORNIVS in *Bibliotheca Antiquaria et Exegetica* pag. 679. cet. et IO. CHRISTI. KOCH in *Dissertat. theol. hist. philol. litteraria de cultu Serpentum apud antiquos* Lipf. 1718.

Igitur hoc quidem minime dubium videtur, serpentem, Pacis signo additum, salutem et res laetas, quae pacem consequuntur, denotare, atque, ut est discordia morbus quidam humani generis, ita tranquillis rebus et conspirantibus, iusta idem sanitate vigere. Sed unde tractum sit *beior* illud in hoc animante, et omnis illa serpentum religio, difficile est ad iudicandum. Quam qui ab prima auctorum generis nostri calamitate repetunt, et mali genii, serpente induti, fraude; incredibilem humani generis fatuitatem arguunt. Equis enim credat, eo quemquam progressurum amentiae, ut malorum omnium, quibus se obnoxium sentit, auctorem vnicum pro benefico in primis numine colat, idque sciens ac volens? Qui ab serpente *Mosis* aeneo idem deriuant, dicunt aliquid; maxime si, ut *Damascius* apud *Photium* (73) refert, ex *Phoenicibus* ortum esse *Aesculapium*, constat. Sed frustra puto inquiritur, tanquam in iustae historiae argumentum, in rem eiusmodi, quae, quod omnes paene gentes peruasit, (nam et apud *Indos* similem superstitionem notauit MAXIMVS TYRIVS, (74)) ab vnico populi singulari facto minime videtur profluxisse, atque a communi matre, superstitione recte, apud singulos vniuersosque, deriuari potest. Est enim hoc animantis genus solitarium maxime, et abditis fere in locis degens; igitur ad spectus fere subiti ex latebris sese proripientium, accedit species in nonnullis singularis, silentium loci, et alia huiusmodi ad horrorem faciendum in primis apta. Eo autem ubi semel occupatur animus, facile, ut aliquid diuinum suspicetur, impellitur. Quod vel spectrorum, et ignis fatui mirabiles historiae, omnem,

C 3

opi-

(71) *Valer. Maxim.* l. 1. c. 2.(72) in *Fulv. Ursini Num.* famil. Rom. p. 234.(73) cod. 242, p. 573. edit. *Höfchel*.(74) *Dissert.* XXXVII. pag. 373. edit. *Lugdun.* 1631.

opinor, terram peruagatae declarant. Quod autem ad benefica in primis numina tractum sit, vnde repetam, nescio, nisi quod etiamnum in nonnullis Germaniae regionibus serpentes in domibus ac stabulis visos faustissimum rei pecuariae, equinae in primis, augurium haberi, eamque ob causam summa cum cura obseruari, sciam. Non quod ignorem, quam feliciter complurium tam veterum quam recentiorum scriptorum in hoc negotio versata sit sagacitas, vt nec pilum in omni animantis natura reliquerint, quod non egregie cum ista eius dedicatione conspirare ostenderint: verum omnes isti praeclari interpretes, quid ipsimet fieri aequum iudicassent, non male forte exequentur, non item, quid primi eius rei auctores fecerint; quos alia omnia potius spectasse credibile est, si quid tamen spectarunt, praeter captum nescio qua noua re animum, quam tam callide *φυσολογῆσαι*.

Haec de signis Deae in numis veterum fere obuiis, quae an statuarum in ipso templo repositarum expressae imagines sint, nemo facile dixerit; nec videtur admodum credibile. Statuas autem eidem hic ibi positas fuisse, praesertim in *Graecia*, vbi in deorum historiis imaginibusque maxime se exercebat artificum industria, satis testatum est. PAVSANIAS *Athenis* se, iuxta quingentorum curiam, (*τῶν βουλευσῶν τῶν πεντακοσίων πλυσίων*) expositam vidisse PACIS statuam, *Plutone* pueri habitu manu gestantem, scribit. Eleganti commento, vt nempe opes pace et parari facile, et tuto defendi, significarent (75).

Pluto

- (75) Similiter de eo iudicat alio loco (p. 294.) *Pausanias*, quem scriptorem, *Graeciae* suae *Keyserum*, operae pretium erat ita instruere, vt non iam in solis eruditorum, eorumque adeo paucorum, sed in artificum etiam, si qui vltra manus sapient, manibus versari posset. Is igitur *σοφὸν εἶ*, inquit, *ἔχ' ἥσων*, (quam *Xenophontis* et *Callistonicus* commentum, Fortunam, *Plutum* tanquam filium et alumnus manibus gestantem, fingentium) *Κηφισοδότῃ. καὶ γὰρ εἶπεν τῆς Εἰρήνης τὸ ἀγάλμα Ἀθηναίοις Πλάτων ἔχων πεποικῆν*: nec minus *argutum Cephisodoti inuentum* cetera. Cuiusmodi videas et alia passim specimina, Deorum imagines, vt erant quique vel artis, quam exercebant, societate, vel rerum, quarum erat illis subiecta potestas, natura et ordine consociati, callido artificio iungentium. Ita idem PAVSANIAS *Corinthi* a se visam *Veneris* statuam, quam *Pirho* (Suada)

coro-

Pluto enim seu idem sit, qui *Plutus* alias dicitur, seu ab eo diuersus, id quod in discrepantibus veterum sententiis (76) nec facile est dicere, nec inquirere profecto operose necesse est; cum in Iustrandis et describendis his deastrorum suorum cateruis mirifice ingenio et argumenti, quod forte tractabant, necessitatibus indulserint poetae veteres: hoc certe satis constat, et ipsum *Plutonem* opum largitorem habitum esse. Ο Πλούτων, ait apud LVCIANVM (77) *Plutus*, ἀποσίλλει με παρ' αὐτοῦ (τῆς παντοῦ) ἀπὲρ πλουτοδότης καὶ μεγαλόδωρος καὶ αὐτοῦ ὄν. ἀπλοῦ γὰρ καὶ

cononaret (*Corinthiac*. p. 158); *Olympiae Aesculapium* et *Hygaeam* eadem ara iunctos (p. 175); ibidemque *Apollinem* et *Mercurium* simili compendio cultos, refert, quod, inquit, hunc lyrae, illum Citharae repertorem praedicarent (p. 162). *Corinthi Musis* et *Somno* super eadem ara litabant, λέγοντες, τὸν ὕπνον (sonnum opinor habitantis circa turbae, atque adeo tempus nocturnum) θεῶν μάλιστ' εἶναι φίλον τοῖς Μέσοις (ib. p. 74). *Olympiae Bacchus*, *Gratae*, *Misae* et *Nymphae* pari societate iunctae erant (ib. p. 162), quam eleganter explicat *ATHENAEVS* *Deipnosophistic*. L. I. p. 18 (edit. Basf. 1535). Ita et *PINDARVS* *Isthmic*. VII. p. 122. ed. Schmid. Διόνου Cereris πάρεδρον vocat. Sed haec talis laeta manu praebent *GEORG. D' ARNAVD* in Commentat. de Diis παρ' ἑσσοῖς et *GRÉGOR. REDI* degli Dei aderenti, in libro *Saggi di Dissertazioni accademiche* --- dell' Accademia Etrusca di Cortona Part. II. p. 107. Rom. 1738.

(76) Eundem verumque apud *Atticos* saltim habitum fuisse, probare conatur *SPANHEMUS* (*Observat.* in *Callim.* p. 749.) quod in *Aristophanis* *Pluto* promiscue Πλούτης et Πλέτων dicitur. Sed totius, opinor, fabulae ratio satis ostendit, non regem illum late patens interiorum regni et Iouis fratrem, sed minorum gentium aliquem deum, caeterorum ministrum, in scenam produci. Vnicus autem ille locus, ad quem prouocat, vbi re vera Πλέτων illum vocat poeta, rectius exponitur ab primo interprete, qui Πλέτων αὐτὸν, inquit, ὑποκριτικῶς ἐκάλεσεν, quam ab altero, qui τὸν Πλούτην, ait, εἶπ' ἄλλοι καὶ εἰκότως τὸν αὐτὸν τῷ Πλέτωνι τὸν Ἀθην νομίζουσι. καὶ γὰρ Ἡσιόδος φησὶ

Εὐχεῖσθαι δὲ Διὶ χ' Ἐσσοῖω Διμήττει Σ' ἄγνη.

qua in explicatione, ad quam *Spanhemius* potissimum prouocat, nec vltima mediae, nec media primis respondent. Dicitur igitur *Plutus* ibi fuerit Πλέτων quasi latine diceret *Plutus*; vt id recte potuisset gallice conuertere *ANNA FABRA*; vbi est assi (*Aesculape*) auprès du pauvre petit *Plutus*. Discrimen, vulgo certe admissum, *Luciani* locus, quem mox adducimus, clare loquitur.

(77) in *Timone*. Opp. Tom. I. p. 100. Amst. 1687.

καὶ τῶν ὀνομαστῶν; quo loco et aperte satis vterque ab alterutro distinguitur.

Aliam, et ipsam *Athenis*, in *Prytaneo*, PACIS statuam se vidisse memorat PAVSANIAS (78) Ἐστὶν δὲ deae iunctam. Cuius deae, ut ait Cicero (79), vis ad aras et focos pertinet, estque ipsa rerum custos intimarum. Pace igitur haec salua esse, et suis se quemque parietibus pariter ac religionis hospitalis sanctitate tutari posse, voluerunt, ni fallor, hac societate indicare.

Plura ex hoc genere non iam succurrunt. Fuere tamen et alii Dii cum hac collegii nomine iuncti, ex vetustae superstitionis lege, eique veluti obstetricantes. Cuiusmodi est, praeter illos, quorum supra iam meminisse occasio fuit, *Apollo*, cui *Thebis* aram, et cinericiam quidem, ex sacrificiis combustis, sacram fuisse Σπονδῆς cognomine, id est qui σπονδῆς (80) et foederibus iungendis numen suum praestaret, PAVSANIAS (81) testis est. Quo is honore etiam in inscriptione vetusta (82) maectatur, quae DEO SANCTO APOLLINI PACIFERO solutum votum indicat. Sed et ipsi, quod alienius videatur *Marti*, tam mitis prouincia aliquando demandata est; diciturque ob eam rem

in

(78) in *Atticis* p. 16.

(79) De Nat. Deor. lib. II, c. 27.

(80) Nempe vetustissima fuit paciscendarum rerum, apud plerasque gentes, religio; ut et apud has, quas fingendorum nouorum numinum libido non ita obsedit, tamen cum re diuina plerumque coniungeretur pacis conciliatio, et apud eas etiam, qui se hoc crimine contaminarunt, tamen multo ante, quam eo prolaberentur, valeret ipsius rei sanctitas et cum re sacra communio. Qui mos apud *Graecos* tam caecam habuit vetustatem, ut cum ipsis linguae originibus videatur coniuncta. Dicuntur enim ipsis foedera haud alia ratione σπονδῆς, quam quod inter sacrificia et libamina conuenirent. Quamquam id ipsum apud plerasque olim gentes vsu receptum fuit; cuius rei apud orientis populos ipsae sacrae litterae complura specimen exhibent, et apud vetustissimos Italiae incolas *Virgilius* passim. In *Romana* republica satis constat et sacerdotum peculiare collegium, *Fecialium* inquam, huic rei institutum iam sub initia Reip. et pacis condiciones in templis seruatas fuisse. Quamquam et hoc postremum ad plures gentes pertinuit.

(81) in *Boeoticis*, p. 290.

(82) PET. APLANI et BARTHOL. AMANTII Inscription. p. CCCXL, n. I.

in numis quibusdam *Septimii Seueri* et *Commodi* ab GOLTZIO citatis (83) PACIFER et PACATOR, credo id demonstraturus, quod *Cicero* alicubi *Bellum*, ait, *ita suscipiatur, ut nihil aliud, nisi pax, quaesita videatur* (84).

Haec libuit de Pace, desideratissimo dei immortalis munere, etsi, ut pleraque alia, ad prauos sensus ab profanis gentibus detorto, *εὐφημεῖν* et tristi temporum, quae viuimus, augurio, et iuuenum ornatissimorum, Gymnasii nostri ciuium, instituto, qui, in lucem adspectumque prolaturi diligentiae suae fructum, in argumento ad temporum rationem accommodato ingenii atque orationis facultatem conabuntur ostendere, et, si potest, aequis huiusmodi conaminum arbitris probare. Facient igitur periculum existimationis, quam habent apud me quidem non minus ob morum integritatem candoremque, quam ob praeclarum in litteras studium, eximiam, ab aliis etiam sibi parandae,

ex primo quidem ciuium Gymnasii nostri ordine
BALDVIN. LVDOLPH. MAGIUS, *Barnstorff-Diepholtanus* variorum vitae commodorum ornamentorumque vel causam vel occasionem extitisse bellandi studium, demonstraturus;

IVSTVS HERMAN. SCHLEDEHAVS, ex *Bramsche* oriundus, qui, igniti pulueris inuentorem tantum ab vulgo iactis in eum criminibus abesse, ostendit.

(83) *Theaur. Rei antiquar.* p. II.

(84) *de Offic.* l. I, c. 21.

AK 16837

X 294 3738

ostendet, vt potius patronus humani generis salu-
tandus sit.

Ex secunda acie prodibunt

IO. HERMAN. KANNEGIESSER, *nostras*,
qui vt in caeteris rebus humanis, ita in bellicis in
primis dominari prouidentiam diuinam, proba-
bit, et

IOACH. ANDR. FRIDERIC. WARNECKE,
itidem nostras, qui pro pace per Germaniam seu reti-
nenda, seu recuperanda, pia vota nuncupabit; pa-
trio quidem hic carmine, caeteris latine dicentibus.

Horum igitur conamina ita commendo grauissi-
mis rerum nostrarum patronis, praeclare de nostris
studiis merentibus, caeterisque litterarum amicis,
ciuitatis nostrae ornamentis, vt qui eorum benefi-
ciorum, quae in litteras conferri possunt, id vel ma-
ximum existimem, cultoribus earum honesti iudi-
cii significacione animos ac spiritum addere. Quod
vt nobis hac opportunitate praestare ne grauentur,
declarentque id frequenti in Gymnasio nostro ad d.
xxix huius mensis primis pomeridianis horis, prae-
sentia, perobseruanter illos etiam atque etiam rogo
quaesoque.

P. P. Osnaburgi d. XXVII Martii

clō lō cc lvii.



VD18

ME



inches
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow


Red

Magenta

White

3/Color

Black



DE
P A C E
FUNDAM HONORIBVS
CVLTA
ANTIQVARIQ-CRITICVM

QVO
AVDIENDAS
ASIO OSNABRVGENSI
C BELLICIS REBVS
RATIONES
ARVM IN HAC VRBE
OS FAVTORESQVE
R ATQVE OFFICIOSE INVITAT
VID HEILMAN
GYMNASII DIRECTOR.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

LITTERIS KISLINGIANIS.

II h
837